

# LECTORI BENIVOLO

S. D

IOH. FRIDER. FISCHERVS AA. M  
SCHOLAE THOMANAE CONR \*

Quae res impulit me nuper, vt Aeschinis Socratici dialogos denuo ederem; ea etiam Anacreontis, suavissimi poëtae, carminum nouam adornare editionem coëgit. Quippe scriptor Graecus erat quaerendus, quem, per aestiuos hosce, hibernosque, menses, disciplinae nostrae alumnis interpretarer. Itaque quum praeter libros eos, qui superioribus annis, vel Ernestii, viri celeberrimi, collegae nostri, egregia, diuinaeque, doctrina illustrati, vel etiam a me vtcunque explicati, fuissent, reperirem nullum, cuius facilis, et bona, in tabernis librariis copia esset; ego autem in schola nostra e Latinae linguae auctoribus adhuc Horatium enarrassem: animum induxi poëtam Graecum eum, cuius ingenio Venusini Musa in odis maximam partem deberet sua, hoc est, Anacreontem, inter-

\* Hanc Praefationem duabus superioribus subiungendam esse censuimus maxime propterea, vt appareret, quantum nostra nunc de auctore eorum carminum, quae

Anacreonti Stephanus tribuit, sententia discreparet ab ea, in qua ante hos vndequadraginta annos fuisset.